

GRATIANVS IMPERATOR.



Gratianus Syrmij in Pannonia natus Valentini Imperatoris & Seueræ Augustę filius fuit. Hunc parentes Aufonio uiro erudito literis instituendum tradiderunt. à quo Gratianus carmen facere, ornatè loqui, controuersias more Rhetorum explicare, liberales artes intelligere, & Philosophiam cognoscere ita didicit, ut plerisque admirationi fuerit. quare & pater Valentinianus uix puberem, Imperij insignibus ornatum Augustum appellauit. Princeps fuit ab adolescentia religiosus, qui Deum summa semper ueneratione coluit, præterea liberalis & adeò comis ut ægros sæpe inuiferet, medelis consolatos foueret, fomentis sanaret & sumptibus aleret. Is itaque à patre Augustus appellatus Europæ præfuit, & post patris Valentis mortem Asię quoq; & Affricę regna suscepit.